

dentiae et causalitatis. Neque oportet in omnibus servari similitudinem inter organa corporis comparata ad voluntatem hominis, et causas secundas comparatas ad voluntatem Dei, nam, licet magis, et intimius, ac essentialius pendeant causae secundae a prima in agendo, quam membra corporis a voluntate hominis in movendo, non tamen eodem modo, quia membra pendent a voluntate tanquam ab extrinseco applicante, quae applicatio praecedat ordine naturae, quia fit per actionem re ipsa distinctam a motu membrorum, et in voluntate ipsa manentem; causae autem secundae pendent a prima ut a causa per se, et intime, ac immediate influente in suamet actionem, et ideo non pendent a voluntate Dei, ut volente novam applicationem, praeter eam quae est per innatam inclinationem et determinationem ad unum, et praeter applicationem localem, ubi fuerit necessaria, sed pendent a Dei voluntate, ut volente concurrere, quae non censetur praevia, sed concomitans, quia in objecto suo includit cooperationem causae secundae, et illi non dependet actio transiens in re ipsa distincta ab actione causae secundae; ideoque necessarium non est intelligere applicationem mediam inter concursum Dei, et collationem virtutis seu actus primi sufficientis, tanquam per se ac simpliciter necessariam ad actionem harum causarum.

*Ut servetur libertas in actionibus, quid sit necessarium.* — Multo vero magis necessarium est hoc dicere in causis liberis, ut probat objectio facta. Ut enim servetur libertas in actionibus earum, necessarium est ut nulla determinatio ad unum antecedit per modum actus primi, seu ante usum suae libertatis, sed oportet ut ipsa determinatio fiat per actionem talis causae liberae, et cum indifferentia elicita, ita ut ipsa determinatio pertineat ad actum secundum et vitalem, fiatque ab intrinseco principio cum potestate ad oppositum, dependenter tamen a prima causa tanquam a cooperante, principali ac primaria. Quocirca comparando voluntatem humanam, ut elicentem suam actionem vel determinationem, ad voluntatem divinam, ut volentem ante ipsam determinationem vel actionem voluntatis humanae, in rigore necessarium non est ut praecedat duratio vel ordine naturae absoluta et efficax Dei voluntas, vel determinans voluntatem humanam efficaciter et absolute; tum quia destrueret usum libertatis, tum etiam quia repugnaret bonitati divinae

sic applicare voluntatem humanam ad actus malos, sicut repugnat virtuti hominis applicare per voluntatem suam membra corporis sui ad actus turpes; sufficit ergo, ex vi subordinationis ac dependentiae liberi arbitrii a prima causa, quod praecedat voluntas Dei, concurrenti cum libero arbitrio, et sinendi illud operari juxta modum suum. Nam haec voluntas Dei, quatenus intelligitur antecedens, et per modum principii respectu determinationis humanae voluntatis, non est voluntas absoluta, sed includit conditionem: Si liberum hominis arbitrium cooperari voluerit; et ideo, licet sit sufficiens voluntas, non est efficax sine cooperatione liberi arbitrii, quia Deus non vult aliter applicare omnipotentiam suam, ne nostrae laedat libertati. Si vero illa voluntas consideretur, ut jam actu influens simul cum nostra, non habet rationem antecedentis, sed concomitantis causae, ideoque non causat se sola praeviam applicationem, sed simul cum voluntate hominis causat ejus liberam determinationem, et in hoc etiam est dissimilitudo in exemplo adducto de membris corporis humani; estque nova ratio differentiae evidens, quia potentia motiva existens in membris corporis non habet proprium intrinsecum dominium suae actionis, et ideo non poterat talis actio esse libera, nisi per denominationem ab extrinseca voluntate applicante, ac propterea virtus motiva talium membrorum ita est natura sua instituta, ut indigeat illa applicatione praevia, saltem per sympathiam potentiarum radicearum in eadem anima, tanquam in uno et eodem proximo principio principali. At voluntas hominis habet intrinsecum dominium suae actionis et determinationis, et ideo non solum non indiget extrinseco praedeterminante, cum per suum dominium possit se determinare, et actio ejus intrinsece sit voluntaria, et intrinseca per respectum ad ipsamet voluntatem humanam, verum etiam repugnat huic dominio et libertati talis determinatio. Quare sicut non pertinet ad causalitatem primae causae destruere vel impedire hanc libertatem, ita nec efficere talem determinationem, sive per impressionem praeviae motionis, sive quocumque alio modo possibili. Dico autem non pertinere hoc ad causalitatem primae causae, ut sic, id est, ut concurrentis cum causa secunda necessario et ordinario modo de quo nunc agimus. Nam si extraordinario modo per omnipotentiam suam id facere voluerit, poterit quidem praedeterminare voluntatem huma-

nam ad unum, necessitatem illi inferendo, non tamen in eodem actu liberum usum relinquendo, quia haec duo plane repugnant, ut in superioribus ostensum est. Unde colligunt aliqui nunquam posse divinae voluntatis decretum absolutum, quod praedefinitionem Dei appellamus, esse de actu libero voluntatis humanae, et simpliciter absolute antecedere liberam determinationem ejus, quia putant ex hoc actu divinae voluntatis necessario et causaliter sequi applicationem et determinationem voluntatis humanae repugnantem libertati. Ego vero censeo, si hoc decretum non sit per modum executionis, sed per modum intentionis, non repugnare libertati voluntatis, quia non applicatur immediate ex efficacia illius propter solam sympathiam vel physicam praedeterminationem, sed prudenter sapienterque excitatur et movetur voluntas per media congrua divinitus praecognita, ut tandem ipsa se determinet cum auxilio et concursu simultaneo, et ita potest illud decretum habere infallibilem effectum, salva libertate. Pertinereque hoc potest in multis effectibus ad perfectionem providentiae Dei, quamvis non possit extendi ad omnes, praesertim ad actus quibus malitia inseparabiliter adjuncta est, ut in lib. 2 de Auxiliis late diximus, et statim breviter attingemus.

*Secundum caput argumentorum, ea indifferentia liberi arbitrii.—Quam sit debile.— Varietas opinionum de principio determinante causam secundam.— Indifferentia pertinet ad libertatem.*—Secundum principale fundamentum hujus sententiae est, quod voluntas creata, cum sit de se indifferens, non potest inchoare actionem suam, nisi prius ab alio determinetur, quia a causa indifferenti, ut sic, non potest provenire actio determinata, atque haec est prima et principalis ratio ad hoc caput spectans. Ut autem intelligatur quam sit debilis haec ratio et infirma, distinguamus duplicem indifferentiam: una est quoad exercitium, alia quoad specificationem, quae opponuntur duplici necessitati quoad exercitium vel specificationem, quae distinctio satis vulgaris est. Possumus tamen addere tertiam indifferentiam quoad individuum; sed haec communis est, non tantum causis liberis, sed etiam naturalibus, quia ignis, verbi gratia, de se potens est ad producendum varia individua coloris, et consequenter respectu talium individuorum est quasi universalis causa et indifferens, unde, ut in particulari producat hoc individuum potius quam aliud, aliquo de-

terminante indiget, nam ipse non potest se determinare, cum nec sit liber, nec reflectatur, ut sic dicam, supra se; et eadem ratio est de caeteris agentibus naturalibus. De tali autem principio determinante causam secundam ad individuum effectum, est varietas opinionum inter Philosophos, nam alii volunt determinationem illam oriri a subjecto et circumstantiis, alii ab influxu primae causae, quod fortasse probabilius, dummodo pro constanti supponatur, propter hanc determinationem ad individua, non esse necessarium influxum praevium, seu praedeterminans, receptum in causa secunda, sed sufficere generalem concursum concomitantem, quem Deus in singulis momentis seu opportunitatibus offert unicuique causae ad determinatum numero effectum in unaquaque specie, et hoc satis est ut talis causa hic et nunc efficiat hoc individuum, et non aliud, quia ad illud habet concursum Dei, et non ad aliud; nam alioqui jam ipsa causa secunda habebat sufficientem virtutem ad utrumque. Quoad hanc autem determinationem, eadem omnino ratio est de causis liberis ac de naturalibus. Quantumcumque enim causa secunda libere operetur, non est in potestate ejus determinare se ad hunc actum in individuo elicendum, potius quam alium, etiamsi libere determinetur ad elicendum actum talis speciei. Quod satis constat experimento; determinatur enim voluntas ad amandum vel non amandum, vel etiam ad odium; tamen cum se determinat ad amorem, non est in potestate ejus elicere hunc actum amoris in individuo, potius quam alium; sed eo ipso quod hic et nunc se determinat ad actum, naturaliter sequitur, ut faciat tale individuum, quale in re ipsa existit, etiamsi fortasse ipse homo ignoret quod vel quale sit, et haec fortasse est ratio cur hoc non cadat sub liberam hominis electionem, quia scilicet non habet homo praecognita talia individua, ut inter ea eligat, nec habet aliquod principium vel motivum quo ad talem electionem moveatur, quod non ita est in determinatione quoad speciem actus; nam eo ipso quod proponitur objectum ut amabile vel odibile, proponitur electio facienda inter odium et amorem; et ideo talis determinatio quoad specificationem cadit sub libertate; quoad individuum vero minime, sed aliunde naturaliter consequitur, eo ipso quod liberum arbitrium libere se determinat ad speciem actus; et principium talis determinationis recte reducitur in divinum concursum

concomitantem, sicut dictum est de causis naturalibus. Et ita nihil in hoc læditur vel minuitur libertas, quia hæc, ut dixi, non consistit in electione seu indifferentia inter individua ejusdem speciei, sed consistit primo quidem et præcipue in indifferentia quoad exercitium actus, quæ integra manet, etiamsi Deus tantum offerat concursum suum ad determinatos actus in individuo in singulis speciebus, quia per hoc non determinatur potentia ad exercendum aliquem actum, sed potest nullum elicere, non obstante ea præparatione ex parte Dei; deinde pertinet ad libertatem indifferentia quoad speciem actus, quæ similiter non minuitur per hoc quod concursus offeratur ad certum individuum, quia non offertur tantum in una specie (sic enim revera non maneret libertas perfecta ad eliciendos actus aliarum specierum); sed offertur ad omnes species actuum quos voluntas exercere potest; in singulis tamen ad singula tantum individua; propter hanc ergo determinationem non est necessarius prævius influxus in causa.

*Determinatio ut fiat ex parte voluntatis.* — Præterea necessarius non est propter determinationem quoad specificationem actus; nam hoc sufficienter fit ex parte quidem objecti per ipsius propositionem et representationem sub aliqua ratione boni aut mali, quæ ad talem speciem actus in suo genere actus determinandam sufficiat; ex parte vero principii proximi efficientis sufficit dominium et potestas electiva voluntatis cooperante Deo, juxta exigentiam actus. Quin potius si aliunde voluntas determinaretur ad certam speciem actus, eo ipso impediretur usus libertatis quoad specificationem, quia jam determinatio non esset ex dominio et intrinseca perfectione, sed aliunde. Idemque cum proportione dicendum est de determinatione quoad exercitium actus; supponitur enim ex parte objecti metaphoricam motionem, sufficientem ut circa tale objectum possit actus exerceri, non tamen necessitantem, ac proinde nec omnino determinantem potentiam ad tale exercitium; ex parte autem ipsius voluntatis fit determinatio intrinseca potestate et dominio, quia nisi ita fieret, jam non esset determinatio ab ipsa voluntate, sed ab alio, et ita non esset libera, minusque posset esse liber actus necessario productus a causa sic determinata; neque argumentum illud, quod causa indifferentis nil determinatum operari potest, alicujus momenti est contra has duas partes,

quia illud ad summum haberet locum in causis naturaliter agentibus, solum quoad speciem actus, nam quando causa naturalis est universalis et indifferentis ad plures effectus specie distinctos, non potest ipsa se determinare ad unum potius quam alium, quia non est electiva, nec reflexiva in seipsa; determinanda est ergo vel a capacitate subjecti, vel ab aliis concausis, et tunc etiam non fit determinatio per influxum in ipsam causam, sed in effectum, ut satis per se constat; causa vero libera habet indifferentiam altioris perfectionis, quia et habet virtutem eminentem ad varios actus, et sufficientem ad singulos, et præterea habet vim se determinandi ad unum vel alium effectum, quia mere voluntarie elicit actionem suam et cum pleno dominio illius; idemque est cum proportione de determinatione quoad exercitium actus, quia talis potentia non est indifferentis quoad exercitium propter imperfectionem, vel quia indigeat novo complemento virtutis, sed potius propter magnam perfectionem, a qua provenit ut possit vel suum influxum continere, vel in actum prodire. Illa ergo propositio: A causa, quæ prius natura quam operetur indifferentis est, non potest determinata operatio prodire, falsissima est et humanæ libertati contraria, nam perinde est ac si diceretur, a facultate prius natura manente libera non posse determinatum actum procedere.

*Instantia.* — *Cabezudo, d. q. 2, ad 8.* — Sed instant respondendo simul et argumentando secundo, quia determinatio prævia voluntatis, quæ est per motionem actualem primæ causæ, non est contraria libertati, et alioqui est valde necessaria ut Deus possit habere perfectam providentiam actuum liberorum; ergo nullo modo neganda est. Major probatur, quia determinatio illa non facit necessitatem simpliciter, sed solum secundum quid; sic inquit quidam ex illis auctoribus: Quantumcumque ponatur prædeterminatio divina, semper actio mea est simpliciter libera et contingens, quia non est intrinseca connexio inter me et illam operationem; item addit aliam rationem, quia motio divina est infinite efficacis, et potest movere omnibus modis, et ideo potest ita movere, ut actus omnino infallibiliter, ac necessario, necessitate talis suppositionis, fiat, et nihilominus modo libero fiat, quia utrumque Deus simul vult, et quod vult efficaciter operatur. Unde si causa finita (ait idem auctor) ita prædetermi-

naret voluntatem hominis, tolleretur ejus libertatem, quia ejus motio esset finita et limitata, quæ non est potens ad movendum omnibus modis; secus vero est in motione divina, quamvis eandem vel majorem determinationem faciat, quia cum illa potest conjungere modum liberum. Item addit aliam rationem, quia hæc motio ex æquo necessaria est, et æque se habet ad operationem liberam et necessariam, et ideo efficacia illius non repugnat utrique modo operandi. Item illa motio, quia non est qualitas inhærens, non facit intrinsecam connexionem operationis cum subjecto, nec connaturalitatem inter ipsam motionem et operationem subsequentem, sed potius supponit connaturalitatem operationis ad subjectum, id est, ad voluntatem, quam movet juxta naturam ejus, quod secus esset, inquit, si voluntas determinaretur per qualitatem vel habitum, quia habitus facit connaturalitatem, et qualitas exigit ex natura rei operationem, et ita facit intrinsecam connexionem operationis cum subjecto. Minor autem principalis argumenti declaratur, quia, nisi Deus posset hoc modo determinare causam liberam ad suum actum, operatio causæ liberæ fieret præter intentionem Dei, quod repugnat perfectioni providentiæ. Sequela patet, quia, vel Deus intendit operationem causæ liberæ, vel non; si eam non intendit, et nihilominus fit talis operatio, jam est præter intentionem Dei; si autem eam intendit, et non potest eam prædeterminare, frustrari posset ejus intentio, quod repugnat perfectioni divinæ; unde etiam in effectibus contingentibus, provenientibus a causis naturaliter agentibus, quatenus ab aliis impediri possunt, Deus ita determinat per suam providentiam futurum effectum, ut non impediatur; vel si impeditur, signum est Deum non dedisse causæ secundæ concursum ad operandum, sed solum ut conetur ad operandum.

*Respondetur.* — *Ad necessitatem repugnantem libertati non est necessaria connaturalitas.* — Respondemus primo ad majorem propositionem negando illam; supra enim satis ostensum est hujusmodi prædeterminationem repugnare cum actuali libertate operationis, et fere responsum est ad omnia quæ in probatione illius majoris afferuntur; ea tamen sæpe inculco, præ oculis pono, ut melius possit lector considerare in quas angustias redigunt isti homines libertatem nostram sine ulla necessitate, et quibus argutiis et

inextricabilibus distinctionibus volunt dogmata fidei involvere potius quam explicare. Igitur ad primam probationem respondemus, negando illam non esse necessitatem simpliciter, quia, licet non sit necessitas intrinsece, est necessitas quæ non pendet ex libertate operantis, seu est necessitas, quæ non potest ab eo impediri, nec in suppositione, quia immititur absque libertate, neque in emanatione actus a potentia tali suppositione affecta, quia non valet potentia illam impedire, et ita respectu illius compositi seu constituti ex voluntate et motione prævia, dimanatio operationis est prorsus intrinseca et necessaria; quidquid autem ultra hæc requiritur ad necessitatem simpliciter, est inintelligibile, et sine fundamento fictum, solum ad subterfugiendam vim rationum. Unde ad alteram rationem respondetur infinitatem divinæ potentiæ non extendi ad conjungenda simul duo contradictoria; actum autem simul esse liberum, et procedere a potentia prædeterminata ad unum sine potestate suspendendi suum influxum, supposita tali determinatione sibi non libera, est conjungere simul duo contradictoria, qualia sunt subesse et non subesse potestati potentiæ ad resistendum et non resistendum. Quod declaratur ad hominem ex ibi concessis. Nam si agens finitum ita prædeterminaret voluntatem, tolleretur libertatem ejus, ut ibi conceditur; hoc autem solum esset propter formalem oppositionem inter talem prædeterminationem et libertatem, nam si non essent formaliter opposita, una non excluderet aliam, a quocumque agente fieret; sunt autem revera formaliter opposita, quia unum extremum includit negationem alterius, non tantum virtualiter seu radicaliter, sed etiam formaliter, nam indifferentia libertatis formaliter requirit carentiam determinationis ad unum; ergo etiam respectu infiniti agentis repugnant illa duo simul conjungi in eodem actu. Quando ergo Deus vult absolute actum liberum fieri, et per omnipotentiam potest facere ut infallibiliter fiat, non est quia possit conjungere prædeterminationem physicam voluntatis cum usu libertatis, sed quia potest applicare media, seu vocationem congruam, quam novit infallibiliter habituram effectum interveniente usu libero voluntatis. Altera vero ratio falsum imprimis sumit, nam talis præmotio neque ad actus liberos neque ad naturales necessaria est. Deinde illa propositio est se falsificans, ut ita dicam; nam eo ipso quod talis motio esset necessaria ad actus volunta-

lis, non esset necessaria ad futuritionem talium actuum, qui eo ipso non essent liberi respectu voluntatis creatæ sic motæ a divina voluntate. Ac denique valde impertinens est quod necessitas talis motionis sit universalis ad effectus omnium causarum secundarum, ut ob eam rem non tollat libertatem, cum alioqui supponatur efficere quidquid revera ad libertatem tollendam necessarium est et sufficit. Igitur ex generalitate concursus seu motionis primæ causæ, inferendum potius esset non esse talem illam motionem, quæ prædeterminet omnes causas secundas ad suas operationes, quia debet esse talis ut secum admittat indifferentiam libertatis, etiam quoad speciem, et non extendatur usque ad inclinationem ad malos actus, quorum primum repugnat cum determinatione ad unum, ut declaratum est, secundum autem esset alienum a bonitate primæ causæ. Præterea quod additur de differentia inter qualitatem et hanc motionem per se est incredibile, et statim resilit intellectus, primo quidem quia supra ostensum est, non posse intelligi talem motionem causæ præviam et distinctam a productione actus secundi, quin habeat intrinsicum terminum ad quem terminetur, qui non potest esse nisi qualitas; quid enim aliud erit, aut in quo prædicamento collocabitur? Tum etiam quia, licet fingatur esse pura motio, eandem vel potius majorem necessitatem inducet, quia non consistit necessitas hæc in conditione illius entitatis a qua provenit, sed in determinatione, quam inducit ante omnem usum libertatis, et cum impotentia resistendi illi. Quis enim dicat minori necessitate ferri sursum lapidem quando trahitur per solam actuslem motionem, quam cum movetur per impressam qualitatem? Plane ad rationem necessarii illud impertinens est, atque eodem modo nihil refert quod illa qualitas impressa ad determinandam potentiam sit habitus permanens, aut qualitas transiens seu actus, dummodo quælibet earum supponatur habere hanc vim quandiu durat; necessitas enim eadem erit, sed una erit permanens, alia transiens, juxta conditionem impressæ entitatis. Unde quod additur de connaturalitate vel intrinseca connectione operationis cum subjecto, quam facit habitus vel qualitas, et non motio, etiam est præter omnem rationem et debitam considerationem, tum quia ad necessitatem repugnantem libertati non est necessaria connaturalitas, nam datur necessitas violentiæ et coac-

tionis, vel ultra naturam, quæ est necessitas simpliciter, licet non sit connaturalis, ut patet in necessitate, qua projecta sursum moventur, et motus cæli necessarius est respectu illius, quamvis juxta multorum opinionem non sit illi connaturalis, sed neuter; et actus prævenientis gratiæ sunt simpliciter necessari, id est non liberi, quamvis non semper habeant connaturalitatem. Tum etiam quia sicut habitus est connaturalis actus, ita etiam qualitati transeunti, et illi motioni esset maxime intrinseca et connaturalis operatio ad quam non solum inclinatur, sed ex natura sua determinatur; respectu etiam subjecti seu voluntatis illa motio ex genere suo dicenda esset connaturalis, quia non solum est connaturale quod a natura inest, sed etiam quod est consentaneum naturæ, vel pertinens ad naturalem modum operandi; sic enim concursus primæ causæ connaturalis dici potest causæ secundæ; ergo voluntas per hanc motionem non solum necessario, sed etiam connaturali modo movetur; ergo operatio procedens a voluntate sic mota simpliciter necessaria est, et non libera. Quod si quis dicat auxilium efficax gratiæ non posse dici connaturale voluntati, respondeamus primo non esse connaturale quoad gradum entitatis et perfectionis; quoad modum tamen movendi et determinandi servare modum naturalis auxilii, et ideo eandem necessitatem inducere. Secundo dicitur, licet tale auxilium non sit connaturale voluntati secundum se, esse connaturale voluntati elevatæ per habitum infusum, vel auxilium excitans; nulla ergo verborum tergiversatione vitari potest necessitas repugnans libertati in actibus voluntatis, tam infusis quam acquisitis, si ad omnes illos necessario præcedit determinatio efficax ad unum, quam solus Deus sua virtute facit.

Secundo, dicimus ad illud argumentum, etiam minorem propositionem esse falsam, nimirum, providentiam Dei circa actus liberos non posse esse perfectam, nisi per hanc motionem determinet liberum arbitrium; nulla enim est necessitas hujus motionis ad perfectionem divinæ providentiæ; imo ex tali necessitate magnæ imperfectiones sequerentur. Nam Deus æque provideret actus malos ac bonos, essetque prima radix et origo utrorumque, et non relinqueret hominem in manu consilii sui, etc. Ad probationem autem illius propositionis, respondetur neutram partem illius dilemmatis esse universaliter veram. Primo enim Deus non intendit omnes actus

liberos, quia non intendit malos, sed solum permittit, ut Concilium Tridentinum dicit, quod longe diversum est quam intendere. Quocirca de iis actibus malis concedi potest esse præter intentionem, imo, et contra intentionem Dei, seclusa omni imperfectione. Ita enim loquuntur Scripturæ et Patres, dum aiunt homines, qui hæc operantur, contra Dei agere voluntatem. Dico autem, seclusa imperfectione, quia tales actus non sunt contra absolutam et efficacem Dei voluntatem; posset enim si vellet illos impedire, et ideo, si absoluta voluntate vellet, non fierent; sunt ergo præter Dei intentionem efficacem, quia etiam Deus non habet voluntatem absolutam illorum; sunt præter, imo et contra intentionem Dei antecedentem, quia Deus, quantum in se est, vellet ut non fierent; tamen quia hoc non obstante Deus ipse vult permittere ut fiant, id non redundat in aliquam imperfectionem divinæ providentiæ. Non sunt etiam illi actus præter intentionem Dei, ac si fortuito vel casu eveniant respectu illius, nam ex certa præscientia futurorum illos fieri permittit, et ad illos vult concurrere, etiamsi illos non absolute velit, nec causas prædeterminet aut moveat ut illi eveniant; hæc enim intentio et positiva motio aliena est a voluntate Dei.

*Omnes actus liberi boni dici possunt esse ex intentione Dei.* — At vero omnes actus liberi boni dici possunt esse ex intentione Dei, et consequenter negari etiam potest esse præter intentionem Dei, et non tamen de omnibus eodem modo. Est enim duplex intentio: una omnino absoluta, quam prædefinitivam vocamus; alia est intentio involvens conditionem aliquam, scilicet, quantum est ex parte ipsius Dei, si per liberum arbitrium non steterit, quæ a multis vocatur voluntas antecedens; non est ergo necesse ut omnes actus liberi etiam boni sint ex priori intentione Dei, neque hoc spectat ad perfectionem providentiæ, quia, sicut perfectio providentiæ non postulat æqualem partitionem respectu omnium, sed proportionatam distributionem, ita etiam non postulat æqualem intentionem omnium actuum etiam bonorum, sed accommodatam juxta varietatem illorum, vel juxta sapientissimum divinæ voluntatis consilium; itaque omnes bonos actus intendit Deus saltem voluntate antecedente, quia illos vel præcipit, vel consulit, vel saltem approbat, et ad omnes illos movere etiam potest et inclinare, et hac ratione non solum dicitur eos permittere, sed etiam ope-

rari, et ob eandem causam non possunt tales actus simpliciter dici esse præter intentionem Dei, quia per hæc verba videtur excludi omnis intentio; ut autem actus liberi sint hoc modo ex intentione Dei, planum est non esse necessariam illam motionem efficacem ac prædeterminantem. Addendum vero est etiam posse Deum intendere aliquos ex iis actibus intentione efficaci; pertinet enim, ut opinor, ad perfectionem potentiæ et providentiæ Dei, ut possit hoc facere, si velit, salva hominis libertate. Atque etiam spectat ad universalitatem divinæ providentiæ ut hoc faciat in multis actibus, ut late declaravi in libris de Auxiliis, loquendo de prædefinitionibus quæ sunt quædam intentiones efficaces; ut autem talis intentio Dei cum omni perfectione executioni mandetur, non est necessaria dicta motio prædeterminativa, sed sufficit vocatio congrua, ut in sequenti puncto declarabimus; ergo nec necessaria est ad perfectam providentiam talium actuum. Igitur in quocumque genere actuum liberorum falsa est illa propositio; nam sine tali motione stat providentia perfecta uniuscujusque actus, juxta modum illi debitum vel accommodatum. Idem etiam evidenter constat in effectibus contingentibus causarum naturalium quæ impediri possunt; interdum enim potest Deus efficaciter intendere talem effectum, et speciali cura applicare causas illi proportionatas, et remove causas de se impediens ut inde proveniat; ad quod non est necessaria illa præmotio physica, sed concursus generalis et simultaneus sufficit cum aliqua prævia applicatione locali vel alteratione, ubi necessaria fuerit. Interdum vero non est necessarium ut illa intentio efficax ordine rationis antecedit; sufficit enim generalis voluntas antecedens relinquendi causas operari juxta modum suum, et concurrendi cum illis, et consequenter permittendi vel admittendi contingentes effectus naturæ, quæ monstra etiam et peccata naturæ dici solent, nec propterea sunt fortuiti respectu Dei, quia ex certa præscientia et voluntaria permissione ac cooperatione proveniunt. Quod autem dicitur in fine illarum probationum, quando naturale agens impeditur ne suam actionem exerceat, signum esse non habere concursum a Deo ad operandum, sed ad conandum operari, non recte dictum est, quia conari ad operandum in iis naturalibus agentibus nihil esse potest ab operatione distinctum, præter ipsam virtutem de se pro pensam et determinatam ad operandum nisi